



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 82. Calabriæ Dux Renati Andegavensis fillus mortuus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1470.

hisce Principibus occupato nuntium defertur, Ludovicum XI. Ambianum urbem expugnasse; Quare Dux Durlendio nulla mora relicto, Hedinum contendit. Adolphus vero Ducis absentia opportunè usus, mutato vestitu, fugam arripuit, ut in patriam suam reverteretur. Verum cum annem Namurco haud longe diffitum trajicere pararet, captus ad eandem urbem reducebatur, ubi carceri mancipatus, ibidem usque ad Burgundiæ Ducis obitum hæsit: eo autem factis functo a Gandavensibus libertati restitutus fuit.

§. LXXXII.

*Calabriæ Dux Renati Andegavensis
Filius mortuus.*

Hoc anno Joannes Calabriæ Dux Renati Andegavensis Filius mortalitatem exiit. Hic a Catalanis in Regem assumptus, veniam obtinuit, ut proprio suo ære in Armeniacensi Comitatu novos militiæ tyrones conscriberet. Hos superatis Montibus Pyrenæis, junctis quoque Catalanorum copiis Bascinonem duxit, ubi cives ultro urbis suæ portas adventanti aperuerunt, ipse vero inde recedens Arragonenses prope Rhodam profligat, ac tentata secundæ obsidionis sorte Gironnam occupat, denique alte-
ram

ram pugnam prospero Marte committit, Sæcul. XV. A.C. 1470.
 auctusque novo quindecim millium exercitu, quem in Ruscinonensi, & Ceredano comitatu conscripserat, Cataloniam ingreditur, eamque ferme totam suis armis subjicit: cum ecce! in medio victoriarum cursu Barcinone febris ardentiore corripitur, ac vitæ stadium absolvit circa finem Anni post Christum natum millesimi quadringentesimi septuagesimi, postquam nonnisi quadragesimum quintum ætatis suæ annum expleverat. Dux iste erat solius sibi infensæ fortunæ injuriis expositus, cetera inter ævi sui celeberrimos Principes facile numerandus; prudentia enim, atque belli peritia summus, & Victoria pluribus in præliis reportata inclaruit, sed semper aut ab aliis proditus, aut a suis derelictus, aut auxilio ferme destitutus succubuit. Hujus obitu belli flammæ non parum sopitæ, paulo post omnino extinctæ sunt.

§. LXXXIII.

Connubium Isabellæ de Castella cum Ferdinando Arragoniæ Regis Filio.

Joannes Arragoniæ Rex, ut de Rege Marian. hist. Hisp. lib. 23. cap. 13.
 Castellæ vindictam sumeret, eo inscio
 Ferdinandum Filium suum cum Isabella
 Henrici Sorore connubii vinculo sociare
Hist. Eccles. Tom. XXIX. Z me-